DISSERTATIO JURIDICA DE MOMENTARIA POSSESSIONE & LITE VINDICIARUM QUAM FAVENTE DEO OPT…

Adriaan Beeckerts van Thienen,
Heinrich : von Cocceji

DISSERTATIO JURIDICA

De

Momentaria Possessione, & lite Vindiciarum.

§. I.

PRæclare Philosophi finem rebus omnibus tribuunt; sed imprimis naturæ rationali, cui proprium est ἐκπροαιρέσεως, adeoque propter finem agere, secus quam putat *Thom.* 1. *mà.* 2. *dæ. q.* 2. cumque finis cum bono convertatur, tendunt omnes ad bonum aliquod non quodvis (itan. & bonum & Finis esse desineret, quæ referuntur ad id, cujus sunt bonum & finis) sed proprium i. conveniens & proportionatum *Cic.* 8. *ad Att. ep.* 11. *& fragm. de*

Rep. l. 5. Ad civilem itaque beatitudinem, cujus palmaria pars absolvitur tranquillitate publica, tanqvam ad commune bonum, homines, uti naturali quodam cognationis jure censentur, *l. 3. J. & J.* natura duce collineant. *Cic.* I. *Off. Bes. diss. de prac. Pol. c.* 3. Hinc Civitates institutæ, *Plat. 1. Rep.* & eorum, quæ natura erant communia, dominia per possessionem discreta sunt. *l.* I. *§.* I. *Acq. poss. Cic. d. l.* I. *Off.* Quod quidem initio paci conservandæ fuit, ut suis quisque uteretur, sed mox propter avaritiam hominum, in discordiarum fomitem degeneravit. Inde Bella orta, diffidia, ac prædationes, quarum tanta novissimis Seculis ingruit tempestas, ut nobilissimæ in Germania Familiæ in Ganerbinatuum arces coactæ, vix communi eam vi avertere ac declinare potuerint. Possessioni itaque conservandæ & confirmandæ semper introducta sunt remedia laudatissima & expeditissima; *Vide Ord. Cam. p. 2. t. 21. R. J. de anno* 1495. 1512. 1521. 22. 48. 55. quibus tamen omissis, id solum, quod ad generalem momentariæ Possessionis, quæ circa vim imprimis versatur, naturam pertinet, hic delibabimus.

§. 2.

Non placet a Dd. Sententia, qui eam omnium Possessionum ac interdictorum latitudine definiunt, omnemque Possessionem momentariam asserunt, *Mar. tit. 7. n. 43. Bac. ad Tr. 2. d. ult. D. S. G. post Barth. in l. 8. C. Vind. vi.* Omnes n. leges de hac Possessione, veluti de certa aliqua specie, ac aliis speciebus opposita

sitâ loqvuntur, & fere in Casibus specialibus, qui ad omnes species non pertinent *Vid. l. ult. C. qui leg. pers. &c.* Et ad quid specialis illa additio momentariæ Possessionis, si omnis Possessio talis sit, & nisi eo ab aliis speciebus, quæ non sunt momentariæ, secernatur? Plane *in d. l. ult.* ubi de ipsa cognitione summaria non agitur, vox illa prorsus frustranea esset: & *in tit. C. si de mom.* ipsa rubrica & Lex specialiter conceptæ sunt de sola momentaria possessione, quod non sine Causa factum arbitror: & cur *in l. 8. C. Und. vi.* magis de aliis Caussis qvam de vi dubitatum fuisset, & cur de sola vi constitisset, si omnium in hac Materia æqualis fuisset conditio? Aperte a. id probat *d. l. fin. junct. l. 1. C. si per vim.* Ubi momentariæ Possessionis actio per quamvis, etiam non legitimam Personam, exerceri posse dicitur; atqui ad obtinendum jus possessionis, quod plene probari debet, utique non nisi legitimus procurator intervenire potest *l. 7. C. judic. arg. §. pen. Per. qu. pers. c.* Ita ergo definio, I. Adipiscendæ interdictum nunquam est momentariæ Possessionis 1. *per d. l. un. & d. l. 8. l. 14. C. Agric. & Cens.* ubi reformanda hæc possessio dicitur: non a. reformatur, quando prima vice quis eam adipiscitur, aut quando nunquam e statu suo turbata est, 2. *per l. un. C. ubi de poss.* in qua in momentaria possessione contra eum judicari dicitur, qui turbavit, momentaria ergo præsupponit turbatam: qualis ejus non est possessio, qui primo eam nancisci hoc interd. contendit, *l. 2. §. 3. interd.* 3. In hoc interdicto non tam possessio, quam jus possidendi asseritur, is n. qui ante non posledit, jus possidendi de novo petit, adeo ut vindicationibus æquipolleat, *arg. l. 1.*

A 3 *Quor.*

Quor. bon. l. 1. §. 4. *Quod leg.* II. Turbatio in Possessione alicujus facta efficit momentum possessionis: in talibus n. casibus tantum mentionem leges momenti faciunt *l. 8. C. und. vi. l. 1. C. si per vim l.* 14. *C. Agr. & cens. l. un. C. si de mom.* imprimisque, ut dictum, id ostendit *l. un. C. ubi de poss.* turbata a. tunc censetur Possessio, quando vi, clam vel precario detinetur: quæ omnia clarissime probantur ex singulis formulis Prætoris, quibus, *ut inf. prob.* in omnibus vindicationibus interdicere contendentibus uti solebat: *Qui nec vi, nec clam nec precario possidet, ei vindicias do*, i possidere jubeo. Qui jam vi, clam, vel precario possidebat, sine mora restituere tenebatur, neque ulla juris exceptio impediebat aut tardabat restitutionem; *l. 1. §. 3. quod vi aut clam arg. §. 6. int.* etsi reus in continenti dominium probare paratus esset, non n. tenebatur respondere ei alter, nisi Possessio restituta, atque ita vitium purgatum fuisset *c. fin. Ord. cogn. Sigon. de judic.* 1. *c.* 21. hæc itaque revera erat momentaria possessio; magna tamen Causa excipienda est *l. 7. §. 3. d. tit.* Ubi a. nec vi nec clam, nec precario possidebat, non restituebat possessionem, sed alter aut ipsum Dominium, aut jus possidendi plene probare tenebatur *l. 1. C. Quod. bon.* eo igitur Casu non erat Momentaria possessio *Sig. d. l.*

§. 3.

Momenti singularia sunt. 1. Actio ejus per quamvis personam potest expediri *l. ult. C. Qui leg. pers. l. 1. C. si per vim vid. sup.* 2. sine libello ac litis contestatione,

tione, omnique ſtrepitu judicii in eo proceditur. *l. 8. C. Vnd. vi. Clement. ſæpe 2. de V. S.* 3. A Sententia ejus appellari non poteſt. *l. un. C. ſi de mom. poſſ.* non tantum quoad effectum ſuſpenſivum executionis, ſed etiam devolutivum cognitionis; tum quia beneficium celeritatis eſt, quod non debet ſubdi injuriis tarditatis *l. 22. C. Th. Quor. app. non rec.* tum quia *in d. l. un.* effectum ſortiri dicitur ſententia, quod non ſit, quando illa ab alio judice reformatur, & forte reſcinditur: tum quoque, quia non recipi dicitur appellatio *d. l. 22. C. Th. cum rubr.* Denique convenit hoc regulæ, *in l. fin. pr. Appell. rec. qui moram non recipiunt, ab iis appellare non licet:* cumque Sententia exſtingvatur per Appellationem *l. 1. §. ult. ad Turp.* non poteſt effectum ſortiri executionis. *Diſſ. ex parte Bach. ad Tr. 2. d. 25. Th. 4. E.* 4. ibi intentanda eſt, ubi vel vis & turbatio facta *l. 1. §. 24. vi arm.* vel ubi ipſa Poſſeſſio ſita poſtulanda eſt. *l. un. C. ubi de poſſ. arg. l. un. C. ubi de her.* ex tempore n. reſtituenda eſt, adeoque in ipſo loco, ubi vel turbatio facta vel res ſita eſt; non v. in loco domicilii, licet id in aliis Cauſis cum loco rei ſitæ concurrat. Diſſ. Don. 17. Hodie Cauſam poſſeſſionis ad ſupremos judices ſpectare contendunt Dd. pro momentaria poſſeſſione competit interdictum, quod vi aut clam *l. 1. §. 3. d. tit.* ſed imprimis ilia in recuperandæ interdictis, maximè unde vi, vertitur. *d. l. 8. d. l. 14. l. 1. C. ſi per vim.* dantur & remedia alia, quorum 17. enumerat *Mar. 4. diſt. 7. n. 28. & ſeqq.* Omnium a. pleniſſimum datur jure Cam. *ex c. redintegranda 3. quæſt. 1.* Unde utiliter libellanti ſvadent. Dd. ut in fine libelli conditionem *ex d. c. 3.* deducat; quia cum

cum omnibus aliis concurrit, daturque contra quem vis Possessorem, etiam cum titulo: quia est in rem scriptum *arg. l. 9. §. fin. Quod met. ca. A Vall. ad tit. de Restit. spol.* §. 3. *Mar. d. l. cont.* Barth. Est & aliud remedium. *ex c. sæpe 18. rest. spol.* sed minus plenum quia etsi detur etiam contra tertium possessorem, qui ipse non dejecit, non tamen datur si b. f. possideat *A. Vall. d. l.* §. 2. Denique agitur contra turbatorem ex generali Clausula P. P. daß Niemand wes Stands/ Würden oder Wesen der sey den andern berauben ꝛc. oder jemands Schloß - Hoff - Weyler ꝛc. durch sich selbst oder einen andern absteigen / ꝛc. Vide Landfr. zu Worms *de Anno 1495.* §. Also das von *eumsqq.*

§. 4.

In Reliquis igitur Causis momentaria Possessio non versatur, sed plenæ in iis requiruntur probationes. Ubi tamen de mittendo aliquem ex primo decreto in possessionem agitur, putem aut momentariam hanc esse Causam, aut sane momentariæ non absimilem. Nam & illa summatim demum cognoscitur *l. 2. fin. C. ubi in rem act.* & appellationem non recipit *l. fin. pr. &* §. 1. *App. rec.* nec dilationem *arg. d. l. fin. pr. juncto* §. 1. Commentitia a plane Dd. est distinctio retinendæ interdicti in Ordinarium & Extraordinarium seu summarium *Mar. dist. 9. per tot.* nullum n. ejus in jure apparet vestigium: *Vid. Bach. ad Treul. 2. disp. ult. th. 5. lit. G.* Plane tamen frustra sugillatur

latur illa post constit. Imperii & imprimis *Ordin. Cam. p. 2. c. 21. §.* Ob auch in obberührtem: ubi tantum non totidem verbis illa inculcatur; verbis: Und alsbald darauff summarie ohne einigen Gerichtlichen Proces oder andere Weitleufftige Ausführung der Sachen zuerkennen / welchem Theil die Possession oder quasi einzugeben / oder zu inhibiren sey / (ubi definito primi possessorii) sich derselben biß zu endlichen Austrag des Rechtens in Possessorio (ubi alterum poss:) oder petitorio zu enthalten. Hac posita distinctione, primi seu momentarii Sententia erit mere interlocutoria, quia ante definitivam possessionis Sententiam dicitur *arg. l. 6. §. 3. C. Quor: app:* & reparari in Ordinario proinde potest *arg. l. 2. C. Epit: audit:* adeoque, quod olim erat Privilegium momenti, quod ab eo non poterat appellari. *d. l. un. C. si de mom.* Id hodie hoc casu jure ordinario obtinet *Arg. l. ib. C. judic: l. 21. C. App. l. 7. C. Quor. app.* Ab hoc jure recedunt Canones *c. 1. App: in 6. c. signific. 36. Testib. & att. c. exconquest. 10. rest. spol.* sed jus Civile confirmatur constitutionibus Imperii *Ord. Cam. Wormac. de Anno 1495. §. item* als täglich 20. *Ordin. August.* 1555. *p.* 2. *c.* 28. *§. fin: & c.* 29. *§.* Wo aber von andern 4. Ubi in duobus prioribus locis nominatim confirmatur jus commune. Sed plenariæ possessionis Sententia definitiva est *l. 33. Acq. poss: l. ult. C. Quor. bon.* quæ judicium possessionis terminat, adeoque appellationes ab ea recipiuntur, & jure Civili, per rationes & *text. gen. in l.* 20. *C. Appell. Nov.* 23. *c.* 1. *arg. leg. un. C. si de*

B *mom:*

mom: ubi sola momenti Causa excipitur & *arg. l. fin. in fin. pr.* ubi solius in possessionem missionis sit mentio: quae proinde exceptiones firmant regulam in Casibus non exceptis *Diss: Bach. disp. ult. th. 5. C.* & Jure Canon. *Clem. un. de seq. poss. c. ex conquest. 10. de rest. spol. &c.* & denique Camerali *Gail. 1. Obs. 147.*

§. 5.

Illustre igitur momenti exemplum est *in a. const. §.* Ob auch im quae loquitur de retinendae possessorio: Quaeritur, an extendenda sit ad adipiscendae possessiorium. *Aff. Gail. Observ. 5. n. 8.* propter rationis paritatem. Quod falsum puto: 1. Quia ipse *Gail. n. seq.* ait esse eam stricti Juris, nec ultra Casus expressos extendendam *per l. 99. pr. V. O. cum sim.* 2. Quia diserte constitutio §. Und nachdem sich 1 requiriret/ daß sich jeglicher für dem Besitzer des bestreitigten Guts halte/ und des redliche Anzeigung habe. Quod tantum evenit retinendae possessorio: in adipiscendae n. constat eum qui petit, non possidere, sed Possessionem quaerere, uti & in recuperanda. *per l. §. 3. vers. sed si inter Uti poss:* 3. Quia *in d. constit:* judex sequestro ponere possessionem potest: quod utique non potest in reliquis; nemo n. qui possidet possessione sua privari debet, antequam domi-

dominus intentionem suam probaverit *d. l. 1. §. 4. vs. illud Vti poss: l. 2. C. si per Vim c. 1. 14. lit. pend: c. 7. §. Quodsi Privil. in 6.* iniquum n. est, qui possidet, ob alterius contradictionem possessione privari *dd. ll.* Non igitur ex Causa adipiscendæ poss: agitur ex illa parte constit *in d.* §. Ob auch im quia possessori sine Causa possessio adimi non debet: sed agendum ex generali constitutionis Clausula sup. allegata R. A. vom Wormbs de Anno 1495. im Landfrieden *Vid. sup.* quæ contra omnes turbatores in genere concepta est.

§. 6.

Quid si constet utrumque possidere in solidum? Videamus primo an fieri id possit. Affirmat id *Vlp. l. 3. pr. Vti poss:* Negat *Paul in l. 3. §. 5. Acq: poss:* Quas Dd: afferunt responsiones, augent magis, quam componunt litem, nec accuratioribus veritatis indagatoribus JCtis satisfecerunt. Illa, quæ *d. § 5.* explicat de eodem genere possessionis, & *d. pr.* de diverso, falsa est: nam & eodem possessionis genere plures in solidum possidere possunt, & diverso non possunt: Prius probatur: Do tibi rem precario & sic retineo posessionem animo *l. 15. §. 4. Prec.* tu possides corpore *d. §. 4.* non solo, sed & animo, corpus n. sine affectu tenendi non magis possidet, quam lapis, aut homo

homo fortuito in re ambulans per *l. 1. §. 3. l. 41. Acq. poss:* Tertius â te clam possidet; quo ipso adhuc retines possessionem *l. 6. §. fin. Acq. poss:* animo sc: non Corpore *arg. l. 46. Acq. poss: l. 40. §. 1. ϰf. sed hac l. 24. §. 2. eod.* tertius ille clam possidet corpore, adeoque & Animo ob dictam rationem ex *d. l. 1. §. 3.* tres igitur possidemus animo in solidum, nec mirum, cum utique mille voluntates circa eandem rem concurrere possint; nec metuendum, ne illæ mutua Collisione se invicem impediant, aut de loco deturbent, & in hoc possessionum genere plusquam ridicula esset ratio Pauli *in d. §. 5.* & exsibilanda. Posterius probatur: alter vi possidet, alter clam, utraque injusta, in solidum ergo concurrere non possunt *l. 19. Precar.* etsi sint diversæ species, quod n. utraque sit injusta ad Possessionem nihil facit *d. pr. & d. §. 5.* Reliquis responsionibus omissis ita Sentio. Vera, ac perfecta Possessio; ex qua dominia rerum cœperunt *l. 1. §. 1. Acq. poss:* uti ea natura constituta est, & de qua agit Paulus fere in tota *l. 1. & 3. Acq. poss:* est tantum unica; eaque quæ in Corpore & in animo simul consistit, nec per se animo nec per se Corpore acquiri potest, ut ait Paulus in *d. l. 3. §. 1.* Imo nec solo animo retineri, nisi maneat & facultas corpore incumbendi licet non semper actu incumbat *l. 3. §. 13. eod.* non n. requiritur tam crassa quasi agglutinatio, ut testudinis. Hæc inquam sola vera est ac plena possessio corporalis sc. detentio (sufficit, ut dixi, aptitudinalis) cum affectu sibi ha-

bendi, sive affectus sit dominii, sive alterius juris: illa a possessio, quæ fit solo animo & Civilis dicitur *arg. d. l. 3. §. 3.* est tantum pars possessionis, quæ cum corporali constituit unam integramque possessiónem, corporalis a. detentio separatim sine animo spectata, ne quidem est pars possessionis *l. 1. §. 3. eod.* uti est civilis, sed tantum conjunctim, cum animo spectata *ut. sup.* probavi. His positis dico: Paulum *in d. l. 3. §. 5.* loqui de plena ac vera possessione, quâ quis corporaliter cum affectu habendi rem detinet; loqui eum de corporali possessione abunde liquet ex ipsius ratione, quæ per voces standi & sedendi in loco sane corpus arguit: cum a. ut dixit, nunquam possit in materia possessionis solum Corpus intelligi, alias & lapis sufficeret, sed corpus animatum, id est animo & affectu habendi præditum; per *d. l. 1. §. 3.* liquet eum agere ibi de plena illa possessione, ac naturali, de qua agit in *l. 1. § 1. & l. 3. §. 1. eod: & passim.* Talis itaque ejus est ratio; qui Corpore stat in una gleba fundi; & animum habet occupandi & tenendi totum fundum, viistins affectus censetur stare in omnibus glebis, omnibusque incubare, quousque animus se extendit, ut ait ipse Paulus *in l. 3. §. 1. arg. l. 18. fin. eod.* Impossibile ergo est, ut in iisdem glebis alius stet corpore suo eodem affectu prædito; certum igitur est (alia n. quæ afferri possunt omitto) duas plenas ac veras possessiones, i. e. duas naturales non posse concurrere. Quid a hæc ratio ad partiales & eas possessiones, quæ fiunt animo? aut quarum altera saltem fit animo? non Animus & Corpus,

aut animi invicem deturbabunt, & eodem loco ſtare aut ſedere nequibunt, ſeu nequire dici poſſunt: & de iis ſatis clare loquitur *Ulpian. in d. l. 3. pr.* ibi n. dominus non erat dejectus, nec animum posſidendi omiſerat, adeoque retinuerat Poſſesſionem animo *per l. 3. §. 9. eod.* non a. corporalem, quam tenebat is, qui non ab eo, ſed alio vi vel clam posſidebat, adeoque duæ hic poſſesſiones plenæ ac naturales non ſunt: Hæ ergo ſolæ non poſſunt concurrere in ſolidum reliquæ omnes poſſunt, & huc jam conſentient omnes Leges, ut patebit conſideranti, neque n. omnia inducere licet. Requirimus a. animum & affectum non inanem & fruſtratorium, ſed conſtantem & efficacem, unde nec vi dejectus nec præſente alio clam ingrediens posſidet *l. 25. §. 2. l. 18. §. pen. l. 6. §. 1. in ſeq. eod.*

§. 7.

Reſpondeamus jam ad quæſtionem noſtram quid juris ſi duo in ſolidum posſideant? Omisſis aliornm Sententiis *Vide Wiſſemb. 2. d. 24. n. 2.* dico contra petitorem pronunciandum §. 4. aut quod tutius ſequeſtro collocandam: *juxta d. conſtit. Tit.* 1. §. **Ob auch in:** qua ſequeſtratione facta nunquam manet, aut manere poteſt poſſesſio penes ſequeſtrantes. 1. Quia cum unusquisque in ſolidum posſesſionem rei controverſæ deponat, & de poſſesſione

one in solidum singuli contendant, secus quam in deposito communi *l. 6. l. 17. pr. depos. l. 110. V. S.* Impossibile est, ut in solidum singuli eam retineant; quia naturalis ac plena possessio, de qua sola contenditur, & quæ sola ea est, quam interdictis nobis asserimus, â duobus in solidum teneri nequit, ut jam demonstratum 2. *per d. l. 17.* §. 1. frustra n. dicunt Dd. ibi ipsam possessionem esse depositam; illa n. semper sequestratur, nam illud sequestratur, quod controversum est, illud a. est ipsa possessio *d. l.* 17. *pr.* de ea. n. sola quæritur, apud quem interim esse debeat, cumque apud utramque partem esse nequeat, apud tertium deponitur *3. fac. l. 9.* §. 3. Dol, mal. 4. Quia omnes effectus possessionis sunt penes sequestrem, excepta sola usucapione, quæ ad possessionem Civilem, qua quis animo possidet, pertinet, *arg. l.* 16. *Usuc. l. 39. Acq. poss*: in qua animus inspiciendus, quia in animo consistit *d. l. 39.* neque ex eo, quod sub certa conditione sponte sua apprehendendi facultatem quis non habeat, impeditur, dummodo animum, existente conditione eam repetendi, retineat, *d. L.* 39. *l. 17. fin. eod. arg. l. 3.* §. 10. *eod. junct. l. 24. lib. caus. ets.* Interim si alter antiquiorem possessorem probare se possit pro eo præsumitur titulus, & alter ab hoc videtur vitiose possidere, quod expresse sancitum *Juri Can: in. c. licet 9. ps. ex pram. de probat.* & merito, antiquior n. possessor non potest possidere a recentiore, si a. hic ab illo, aut vitiose ab eo possidet, & constat non obtinere, aut jure, & hoc probare debet, quia naturali ratione res tamdiu censetur

ſetur in eodem ſtatu manere, donec probetur mutatio, quæ, cum facti ſit, non præſumitur. Si a. privilegium temporis non appareat, probandus eſt juſtus titulus *d. c. 9. vs maxime* ſi nec is, ſequeſtranda, ut dixi poſſeſsio, Jure Saxon. Wer die mehreſte Menge anzuzeigen hat / der behalt das Guth / kann mann aber keine Beweiſſung haben / ſo mag mann beyde Theile durch Loß entſcheiden / aber der Kläger und auf den die Klage gehet ſollen dazu ſchweren. Landr. *Lib. 3. Art.* 21. Uſu tamen fori ſufficit alterutrius jusjur: *Schultz ad tit. de interd.*

CAP. II.

De Lite Vindiciarum.

VIndicias, alii ut *Gail, Obſ. 5, n.* 3. confundunt cum momentaria poſſeſsione; alii, contra quos ſolos hic agemus, omnem & poſſeſsionis & proprietatis quæſtionem iis comprehendunt; quorum Sententiam ſequuntur ac defendunt *D. Bachov. & D. Vinn. ad* §. 15. *de Action. n.* 1. his Argumentis 1. *Ex Aſcon in* 3. *Verr.* qui ait *Lex vindiciarum eſt, cum litigatur de ea re apud prætorem, cujus incertum eſt, quis debeat eſſe poſſeſſor. Et ideo qui eam tenet, ſatis dat pro præde litis vindiciarum, nihil ſe deterius in poſſeſſione*

ne factum, *de qua jurgium est.* Et mox: *Licet n. alter rem teneret, tamen quia alter intendebat possessionem ad se pertinere dicebatur controversa possessio.* 2. Ex Festo in Verbo *Vindiciæ*, *Vindiciam Servius Sulpicius vocabulo singulari numero formato, dixit esse, cum aliqua de re controversia est, abeo quod vindicatur* 3. *Gell.* 20. *c.* 9. ubi ait quando de re aliqua desceptaretur, vindiciam correptionem manus factam, & ita dicit vindicasse solennibus verbis. Addo 4. *L.* 12. *tab.* 31. de jure priv. *si Vindiciam falsam tulit Prætor, ejus Litis tres arbitres dato: eorum arbitrio fructuum duplione damnum decidito.* Quæ lex valide hic militat, quia non potest de possessorio intelligi. His tamen non obstantibus dico. Vindicias seu litem vindiciarum esse solum possessionis judicium; 1. *Ex l.* 2. §. 24. *O. J.* &. *Livio* 3. *histor: in processu Appii Claudii Decem viri contra Virginium tribunitium virum, vel hujus potius contra illum.* Quippe in *d.* §. 24. ait JCtus. *Appium vindicias Virginiæ, filiæ Virginii, a patre ejus abdixisse, & secundum assertorem filiæ dixisse*: idem ait *Liv. d. l.* ibi *Appium in urbe fuisse, cum in justa vindiciæ à collega dicerentur.* idem ubi refert summam Sententiæ illius: ibi. *Decresse vindicias secundum servitutem.* Constat a. ex eodem Liv. d. l. Appium non addixisse patri vindicationem, sed contra, decreto suo in eam aperte consensisse: dicit n. *placuisse sibi accersiri patrem & in ejus adventum sistendam puellam promitti ab assertore.* 2. In eodem Processu, cum Advocati Virginis monerent Appium, ut juxta legem 12. tab. â. se ipso latam, vindicias det secundum

libertatem. (ita n. concepta erat Lex) negabat id Appius, dicens argute, neminem esse, cui Possessione cedere assertor debeat; &c. quod in lege dicitur vindicias dare, id ipse Appius vocat possessionem cedere. Idem & inde patet, quia amici tantum possessionem libertatis petebant interim, dum pater abesset 3. In Oratione Icilii sponsi Virginiae, *apud Liv. d. l.* haec sunt Verba: *Hoc sciat Virginius, sibi, si bujus vindiciis cesserit, conditionem filia quaerendam esse.* Non potuit a. simul & cedere vindicatione filiae, & ejus conditionem quaerere, quia illa quaerenda erat per vindicationem, Solam igitur possessionem intelligit. 4. *Ex d. l. 12. tab. Ut si quis è libertate in servitutem assereretur* (idem est si contra in libertatem *LL. infr. all.*) *Praetor vindicias secundum libertatem decerneret:* nihil a. aliud decernebat Praetor, quam ut lite pendente in possessione libertatis esset *l. 14. C. l. 24. pr. & §. 3. l. 25. §. 2. ff lib. ca. l. 1. C. qui dar. tut: l. 12. Ex quib ca: manf. l. 33. §. 1. Procur.* ipsum n. jus libertatis adhuc ex eventu litis pendebat. 5. *Ex Car. Sigon. 1. de Judic. c. 21.* per totum fere: *Qui litem, ait, de Dominio intendere volebat, quae dicebatur Vindicatio, si cujus Vindiciae i. e. possessio esse deberet, certum esset, is qui possessione carebat, actionem Statim possessori de dominio intendebat: sin à incertae erant vindiciae, primum de vindiciis, deinde de Domino agebat.* Et paulo post, *Ostendamus primo quomodo vindiciae postulatae sint, deinde possessore constituto, qua ratione lis ei de dominio sit illata* item. *Possessio usum rei hoc loco significat, ut aedium aut fundi,*

eaque

eaque propriè vindiciæ nominatur. Denique ex formula Prætoris, quâ contendentibus de possessione ita inter dicebat: *Qui nec vi, nec clam nec precario possidet ei vindicias do.* Quid his Clarius? Omnia hæc etiam refert *Rosin l. 8. C. 6. & l. 9. c. 13. 6.* Ex loco *Ascon sup. alleg.* 7. Ex alleg. orat. Icilii: *si vindicias tesserit*; & Paulo ante injunxerat Appius assertori, *ne vindicias cederet*: id a. de vindicatione cedenda intelligi non potest per ullam translationem, licet illa in formulis, quas adducunt *Bach & Vin* admitti possit. Quid ergo respondemus ad loca contraria? Et quidem *Ascon. d. l.* nostram perspicue juvat Sententiam, loquitur n. de controversia possessionis, ut patet *ex princ. d. l.* & quia satis dationis meminit, quæ fiebat in solo possessorio, dequo & ipse *Cic. d. l. 2. Verr.* agit. Reliqua duo loca plus negotii facessunt. Dicam brevibus quod Sentio: Vindicia in numero unitatis significat quamvis rei vindicationem; idque expresse docet *Festus d. l.* Vindiciæ a seu lis vindiciarum significant solam possessionis controversiam in numero plurali: ratio differentiæ est; In proprietatis vindicatione unus vindicabat, unaque tantum erat vindicia: quod n. alter dicitur contra vindicasse, non est vindicatio, sed tantum intentionis adversarii exclusio vel repulsio. In Possessionibus a. litigiosis plures eandem possessionem sibi asserebant, & singulorum rationes examinabantur, unde non una hic erat vindicia, sed singulorum singulæ. Plura supponunt *Bachi d. l. Sc.* semper fuisse possessionem dubiam & litem illam semper præcessisse &c. quæ falsa esse ex dictis patet.

A 2 Coroll.

COROLL.

I.

NUnquam actiones de eadem re concurrentes invicem consumunt 2. in cognoſcendo Poſſeſſorium præfertur criminali; hoc Civili, omnibus præjudiciale 3. Fructuarius habet & jus vindicandi ſervitutes fundo debitas, & novum opus nunciandi. 4. incriminali procurator eſſe poteſt, quoties abſens damnari poteſt 5. deſertam à Colono v. g. poſſeſſionem retineo, niſi aut alii tradita, aut alius ingreſſus ſit: mira L L diſſenſio: an vera? *Aff: Vinn:* §. 5. *Int.: cum Wiſſ.* Neg: 6. Res legatarii ei legari poteſt, ſi teſtator in ea pignus vel jus Emphyteuticum habeat 7. Correus novare poteſt 8. Petitio hereditatis & querela inoff: ſunt duo judicia cont: vet: Reſcindens & Reſciſſorium unum cont. Neot:

FINIS.